DIES FESTOS

RESVRRECTIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

SACROS

PIE CELEBRANDOS

AVCTORITÁTE

PRORECTORIS MAGNIFICI

ATQVE

AMPLISSIMI SENATVS ACADEMICI

INDICIT

D. LEONHARD BERTHOLDT

SENATVI ECCLESIASTICO PROVINCIALI A CONSILIIS,

THEOLOGIAE PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, TEMPLI ACADEMICI ANTISTES ET SEMINARII HOMILETICI DIRECTOR.

Inest I. G. V. Engelhardti, Doctoris theologiae, hujusque Professoris publici extraordinarii, commentationis *de Gersonio mystico* PARTICVLA PRIMA.

ERLANGAE

EX OFFICINA HILPERTIANA

cIↄIↄcccxxII.

§. 1.

Disputationis argumentum.

E mysticae theologiae historia huic dissertatiunculae sumsi argumentum, quod illius theologiae caussa hisce temporibus praecipue in disceptatione versatur; Gersonium caeteris, qui de mystica theologia scripserunt tractandum praetuli, quod ad recte judicandum de mysticis quamplurimum ejus scripta facere videntur. Extant inter mysticos scriptores multi, qui a mundo ejusque negotiis remoti, atque a philosophiae et scientiarum studio alieni, suspicionem aegre effugere possint, imaginationi, phantasiae, phantasmatis obscuris plus aequo tribuisse *a*). Tra-

a) cf. quae de hac re Gersonius ipse sentit §. 5. hujus dissertationis.

dunt experientias, affectus, quos singularis animi status illis praebuit; in ipsas causas affectuum, in viam, qua illos adepti sunt, nullo modo inquirunt; inexperto igitur aut non initiato nebulis obducta, obscura, mera mysteria praecinunt. Longe aliter Gersonius. Hic expertissimus in scholastica philosophia, partes Nominalistarum studiosissime defendens latum illius philosophiae campum spinis refertum sedulo peragrauit, dum ad mysticae theologiae indagationem se conuerteret, ingenii acumine varie exercitato neutiquam carens; Cancellarius vniuersitatis Parisiensis, in magnis turbis, quae ecclesiam illo tempore sollicitabant, libertatum ecclesiae gallicanae fortissimus extitit defensor *b*); vniuersae ecclesiae jura contra episcopum romanum strenue est tuitus; in tollendo schismate occupatissimus *c*), acerrimus jurium concilii oecumenici contra papam propugna-

b) Tractatus de vnitate ecclesiae. Opp. sec. ed. Ellies du Pin T. II. p. I., p. 114 etc.

c) de modis vniendi ac reformandi ecclesiam in concilio vniuersali ad Petrum de Alliaco. Opp. T. I. P. V. p. 161 etc.

tor *d*); idem ille contra fatidicos, astrologos, superstitionem quamlibet grauissime insurgens *e*); de perfectione, quam monachi sibi praesumunt, inique judicans *f*); dubitans denique de immensa potestate papae in peccatis remittendis *g*). Operae pretium videtur, diligenter inquirere in ea, quae talis vir *h*), quem ab omnibus vitiis et erroribus, vt qui ad damnandum Hussium quamplurimum contulerit, nullo modo purgare in animo est, de objecto theologiae mysticae senserit. Juuabit audire scholastico-mysticum *i*). Qua in re idem occurrere videtur, quod in jureconsultis aut medicis, si propria experientia

d) Opp. T. II., P. II. p. 201 etc.

e) ibid. T. I., P. II. p. 189 — 203. Trilogium astrologiae theologizatae.

f) ibid. T. II. P. III. p. 431 — 42. Sermo factus ad populum Parisiensem ex parte vniuersitatis super facto bullae Mendicantium, ex Gallico latine versus.

g) ibid. T. I. P. III. de indulgentiis p. 514 etc.

h) Semleri Versuch etc. II. p. 108.

i) cf. de Hallero, Püttero, Pufendorfio et I. I. Mosero hujus Moseri Lebensgeschichte, von ihm selbst beschrieben. P. IVta p. 232 etc.

ducti de rebus theologicis scribere conantur, et extra cancellos systematis positi vtilissimum saepe in medium ferunt.

§. 2.

Judicia de Gersonio mystico.

Affert in prolegomenis ad opera Gersonii Ellies du Pin *a*) nubem testium pro illo, synodorum, episcoporum, facultatis Parisiensis theologicae et virorum illustrium; sed eos omnes e catholicis, et qui in vniuersum viri eruditionem, ingenium, mores, consilium, orthodoxiam laudant. Apud nostrates hoc est praecipuum judiciorum momentum, vtrum sint fautores mysticismi in vniuersum, an contra sentiant, qui de eo scripserunt. — Cum autem Gersonius periculum fecisset, exponere lucide et clare mysticae theologiae doctrinam et praecepta, et contra enthusiastas et fanaticos ipse insurrexisset, omniaque, quae huc spectant, explicare et ad normam philosophiae dirigere tentasset, factum est, vt ii quoque, qui de

a) cf. Gersoniana p. CLXXX — CLXXXVI in opp. Gersonii ed. Ell. du Pin T. I.

mysticis in vniuersum iniquius judicare solent, benignius de eo sentirent. Conciliauit sibi Gersonius Lutheranorum animos eo imprimis, quod pro libertate ecclesiastica, quod contra papam libere et ingenue dixisset; qua de causa in catalogum testium veritatis eum referre non dubitauit Flacius *b*). Nominat eum Lutherus virum Christi spiritu plenum *c*), optimum Doctorem *d*). Adtulerunt alii catholicorum pro illo testimonia, vt inde contra ipsos catholicos ex illo argumenta petere possent *e*); audit ob mystica scripta et ascetica Hildebrando *Doctor christianissimus f*) et, qui mysticismum recusabant auctores id tamen fateri sunt coacti, in suspicionem Libertinismi et Enthusiasmi illum non venisse *g*). Concedit Moshemius, multa Gersonium scripsisse et fe-

---

b) Catalogus testium veritatis. Ed. I. Basileae 1556. p. 930 etc.

c) Opp. Altenburg. T. I. p, 836 b.

d) ibid. T. VI. p. 28 a.

e) Gerhard. patrologia p. 648. Cf. Arnoldi hist. th. myst. p. 315 — 18.

f) Hildebrandus. Art. mor. cap. I. §. 14. VII. §. 10.

g) Gisbert. Voet. ascet. cap. III. p. 87.

cisse, quae ad emendandam religionem, ad excitandam pietatem, ad curanda vulnera religionis Christianae mira facerent, quanquam in singulis recta et accurata religionis cognitione caruisset *h*). Dedit *i*) Schroeckhius excerpta e libris mysticis Gersonii, judicans, bene et scite exposuisse illum res mysticas, quamuis ipsum mysticae objectum ab obscuritate plane eum defendere non siuisset. — Semlerus ipse, quem temerarium mysticismi fautorem nullus dicet, Gersonio mystico fauentia affert *k*).

§ 3.

Theologia mystica speculatiua.

Egit Gersonius de theologia mystica speculatiua et practica. Iam quae de speculatiua scripsit sunt recensenda. Continentur illa octo partibus prin-

h) Moshemii Kirchengeschichte, übers. v. Schlegel. Heilbr. 1772. T. II. p. 958 — 59.

i) Kirchengeschichte T. XXXIV. p. 291 — 301.

k) Versuch eines fruchtbaren Auszugs der Kirchengeschichte. Halle 1774. T. II. p. 116 — 117.

cipalibus, quarum inscriptiones adjiciemus. Agit prima de quibusdam praeambulis ad theologiam mysticam; secunda de natura animae rationalis et sex potentiis ejus; tertia de luminositate dictarum potentiarum; quarta de contemplatione, meditatione et cogitatione; quinta de tribus oculis animae et tribus affectionibus correspondentibus; sexta de acquisitione mysticae theologiae, et de ejus decem differentiis ad theologiam speculatiuam; septima de amore et ejus triplici proprietate et de raptu simul et extasi; octaua denique de vi amoris, qui amantem vnit cum Deo ac stabilem facit ac requiescere. Dispescuntur singulae partes in considerationes, complectiturque vniuersus de theologia speculatiua tractatus considerationes sexaginta quatuor.

Opp. Gersonii. T. III. P. I. p. 366 — 98.

§. 4.

Dionysius Areopagita et Augustinus.

Vtitur Gersonius auctoritate Dionysiana. Habuit Dionysium pro vero et genuino Pauli apostoli discipulo et effata ejus mystica vt si ipsius apostoli essent verba, venerabatur. Exorditur ab illius theologia

symbolica et in toto, de quo hic sermo est, opere ita procedit, vt nonnisi Dionysiana dicta explicasse, adhibita philosophia scholastica illustrasse et propriis experientiis accomodasse videatur. Similem prodit erga Augustinum reverentiam; ejusque auctoritate haud raro ad probanda ea, quae profert, vtitur.

Nota. De Dionysio non est quod miremur. Eadem de illo opinio apud omnes mysticos ante Gersonium invenitur; nec apud mysticos solum, sed apud Dogmaticos quoque et eminentissimos Scholasticos. Multa ex illo in systema ipsum religionis christianae defluxerunt, per Ioannem Damascenum et Thomam Aquinatem. Haec obseruatio majus inde nanciscitur momentum, quod post editionem Commentariorum Procli Diadochi in Platonis Alcibiadem priorem, quam e codicibus manuscriptis nunc primum dedit Fridericus Creuzer Vir illustr. negari nullo modo potest, tantum non omnia philosophica, quae Dionysius adfert, ex hoc Neoplatonico esse desumta, et effatis biblicis, conciliorum decretis, vt fieri potuit, accommodata. Nouum inde, ni fallimur, exoritur lumen historiae dogmatum vniuersae, quod accuratius demonstrari potest, quibusnam e fontibus maxima pars dogmatum defluxerit, aut potius qui factum sit, vt hanc potissimum, qua nunc extant, formam induerint.

De Plotini cum Dionysio cognatione paucula duobus abhinc annis exponere sum conatus. Proclo vti tunc nondum licuit. Cf. nunc: Προκλȣ εἰς τὸν Πλάτωνος πρῶτον Ἀλκιβιάδην. Procli

successoris in Platonis Alcibiadem priorem commentarii. Ex Codd. Mscrr. nunc primum edidit annotationemque subjecit Fridericus Creuzer. Francofurti ad Moenum 1820. 8.

§. 5.

Quae de singulis aliis mysticis senserit Gersonius.

Melius cognoscetur ipsius mystici nostri de mystica theologia in vniuersum sententia, si, quae de aliis eadem tractantibus sensit, exposuerimus. — Sunt autem in libris ejus judicia de Bonaventura, de S. Birgitta de Flagellantibus, de Rusbrochio.

Loquitur de Bonaventura sub fine tractatus de examinatione doctrinarum. Ibi inter se confert scholasticos et mysticos et ambos more suo bene Deo seruire posse, asserit, *quod inspiratio sub certis regulis aut terminis non debeat comprehendi*; quod vnicuique dederit Deus mensuram fidei, *solitariis aliter, aliter scholasticis*, et ita de reliquis; quod denique *semel loquatur Deus*, nec id ipsum repetat. — Bonaventuram autem inter caeteros doctores, qui ad illuminationem et deuotionem sunt idonei, sine cunctatione dat primas *a*).

---

a) Partem loci, vnde haec sunt desumta Schroeckhius adtulit

Non admodum fauet Birgittae, nec pro certis et indubitatis ejus visiones habendas censet. Inquirendum esse in ipsius, quae visiones videt, sensum, mores, ingenium; in ipsam visionum naturam; cauendum ne nimium detur ejusmodi phantasmatis, neglecto puro et perspicuo euangelii sensu; inter ipsas visiones necesse esse personam, quae illas videt, serio et diligenter ad se ipsam adtendere ani-

---

Kirchengeschichte P. XXIX, 209 — 10. Omisit tamen aliqua, quae ad nostrum propositum eximie facere videntur, quam ob rem adjicere ea non haesito: „Itaque, inquit Gersonius, laus omnis inferior est his duobus opusculis, quorum vim agnoscere, etiam sola credulitate, non paruus est profectus. Denique sermo de sentimentis spiritualibus in contemplatione, in deuotione receptis, nullatenus intelligitur, si non experiatur, et si non intelligitur, et si non amatur; non libenter auditur, sed negligitur vel spernitur, nisi quis ita fuerit institutus, quod firmiter et pie credat, se praeparans vt sapiat, non intelligat, neque sequatur phantasias proprii capitis vel alieni. Sed Doctores approbatos *et eruditos* in vtraque theologia scholastica et mystica pro ducibus amplectatur. — Opp. T. I. P. I, p. 21.

mum; nec facile adsentiendum esse narrationibus, quae de hisce fiunt visionibus *b*).

Acriter insurgit contra flagellantium sectam, tum in epistola ad Vincentium Ferrerium sanctum, quem ab illa abducere conatur *c*), tum in proprio tractatu contra sectam flagellantium se *d*).

Contra Rusbrochium id potissimum adfert *e*) falsum esse, animam humanam in deuotionis exercitio in ipsum Deum, in claritatem lucis ejus transformari; opus esse ad hoc explicandum philosophica indagatione, qua fanatici illi sola experientia nixi mystici careant.

§. 6.

Scripturae sacrae vsus.

Priusquam ad ipsam Gersonii theologiae mysticae expositionem progredior, obseruationes aliquas generales, quae in perlegendis illis mihi occurrerunt,

b) Tractatus de probatione spirituum. Opp. T. I. P. I. p. 37 etc.

c) Opp. T. II. p. IV. p. 658 etc.

d) Opp. ibid. p. 660 — 684.

e) ibid. P. I. p. 59 etc.

praemittam. Versatissimus est in scriptura sacra, ita vt ad probandam aut illustrandam propositionem quamlibet, aptissimi statim loci illi succurrant. Commune hoc illi cum plurimis mysticis, qui fere omnes ita imbiberunt quasi bibliorum sacrorum libros, vt cum cogitationibus illorum coaluisse videantur, nec vlla propositio existat, quam non idoneis locis aut probare, aut refellere, aut lucidiorem reddere possint. Habet hanc artem Dionysius ipse Mysticorum pater et fons praecipuus, habet, vt vnum tantum e reliquorum turba nominem, S. Bernhardus, cujus biblica, vti hoc verbo liceat, disserendi methodus abunde testatur, illum iterum iterumque summoque studio tractasse codicem sacrum. — Non cogito de metaphorica aut allegorica explicationis ratione, sed de arte solum, qua locus bibliorum aut explicationi cuidam succurrit, aut ipse illustrationem inde capit.

§. 6.

Similia et imagine expressa.

Abundat Gersonius exemplis ex communi vitae consuetudine, et ex aliis disciplinis a theologia diuersis petitis, quibus clarius exponere et explicare

conatur, quae affert. Talia sunt, quae consid. 2da de amore, de visu, de auditu profert, vt, quod sub experientia interiori mystica intellectum velit, explanet; ejusmodi, quod consid. 6ta a speculis petit simile, et consid. 8va de picae sonis humanis similibus. Conuenit in eo quoque cum Dionysio in cujus scriptis copia talium imaginum similiumque abunde reperitur, quorum pauca tantum adducere liceat. Saepe vtitur Dionysius imagine solis, vt ideam Dei aut Boni explicet, vt D. N. V, 8. de lumine et caligine ibid. VII, 1. — de aegritudine ibid. IV, 20. — de centro et radiis ibid. V, 6. — de catena e coelo suspensa et de naui ibid. III, 1. —

§. 7.

Scholastica disserendi methodus.

Nec tamen ita contemplationi mysticae sese immisit Gersonius, vt terminis scholasticis, conclusionibus philosophicis, et obscuris et fere barbaris dicendi modis abstineat. Patet ex consideratione nona, talia a consideratione theologiae mysticae non abhorrentia eum aut plane aliena putasse. Negare quoque aut dissimulare nullo modo potest aut cupit, se a

partibus Nominalistarum contra Realistas fortiter stare, nec ommittit occasionem, immo arripit praecipue in definiendis facultatibus animae polemice in illos insurgendi. — Poetarum quoque versus adlegare non spernit vt consid. 20ma parum immutatum notissimum versum: *hic virtus hic labor est*, et alium hexametrum integrum affert: *o curae in terris animae et coelestium inanes!*

§. 8.

De triplici theologia, scilicet propria, symbolica et mystica.

Iam ad singula transeo, quae de speculatiua theologia mystica Gersonius habet. — Cum Areopagita saepius dixisset, per abnegationes procedere theologiam mysticam, hanc autem propositionem ipsam inexplanatam reliquisset, eam explicare tentat autor noster, dicendo, positiue quoque aliquid sciri de Deo, sed per experientiam interiorem, cujus nemo possit esse gnarus, nisi qui expertus sit ipse. Qui hac experientia caret, non melius de illa judicabit, quam, qui non amauit, de amore, quam coecus de coloribus, quam surdus de musica. Vtuntur autem mystici ad denominandam hanc experientiam variis

nominibus, quorum singula a, vt *raptus*, *extasis etc.* affert.

Perfectior est theologia mystica, quam philosophia, haec enim exterioribus tantum, illa interioribus experientiis nititur.

Principia theologiae mysticae tradenda sunt, et a doctoribus et peritioribus discenda, vt in aliis doctrinis quoque a magistris accipimus primas scientiarum lineas, a quibus ad altiorem cognitionem progredimur.

Credere debemus, vt intelligamus. Credendum igitur est experientiis virorum piorum, vt qui in suspicionem cadere non possint, suae vtilitatis causa falsa et vana protulisse. Innumera extant testimonia, sublimiorem, jucundiorem, perspicaciorem esse experientiam intimam, quam exteriorem; esse porro *inciuile*, *irrationabile*, *destructiuum omnis socialis conuictus inter homines*, tot probis et intelligentia summa praeditis viris negare fidem.

Non ita clare operationes interiores scriptis tradi possunt, sicut sentiuntur. Dionysius ipse non omnia exprimere potuit, quae Paulus ipsi tradiderat, sic Paulus non omnia quae in extasi viderat.

Minus expertus plura saepe de mysticis affectibus *eloqui* potest, quam expertissimus. Cum autem sint, qui dicant, pios tantum et deuotos homines Deum cognoscere posse, alii autem, qui ponant, ethnicos quoque et nequissimos theologos meliorem saepe cognitionem de Deo habere, quam pios et bonos, obseruandum est, illos de theologia mystica experimentatiua, hos de ratiocinatione theologiae symbolicae loqui.

Scholastici quoque exercendi sunt in theologia mystica. Manuducuntur hac exercitatione ad proprias experientias, dummodo credant.

Deuotio sine scientia pronissima est ad errores. Docti ne citius damnent deuotos, nisi manifeste contra fidem et mores agant.

Rari inueniuntur, qui scientiam habent cum deuotione vt Augustinus, Bonauentura etc.

§. 9.

De natura animae rationalis et sex potentiis eius.

Vt cognoscamus veram theologiae mysticae naturam, cognoscamus necesse est prius vires animae rationales et affectiuas.

Quid sit theologia mystica — in quanam vi animae reponatur, quomodo acquiratur et cui bono; his quaestionibus respondendum est. Distinguitur anima in tres potentias rationales, intelligentiam simplicem, rationem, sensualitatem; et in tres potentias affectiuas, synderesim vel mentis apicem, voluntatem vel appetitum rationalem, et appetitum animalem.

Est intelligentia simplex vis animi cognitiua, suscipiens *mediate a Deo* naturalem quandam lucem, in qua et per quam principia prima cognoscuntur esse vera et certissima, terminis apprehensis. Habent angeli hoc, quod homo supremum habet, infimum, tamen non est medium quid inter naturam rationalem et Deum. Variis nominibus haec intelligentia simplex insignitur.

Ratio est vis animae cognoscitiua, deductiua conclusionum ex praemissis, *nullo organo* in operatione sua egens. Principia habet aut ex experientia sensuali aut ex intelligentia simplici; est itaque ratio in horizonte duorum mundorum, spiritualis scilicet et corporalis.

Sensualitas vtitur organo corporeo exteriori per

quinque sensus, interiori per sensum communem. Si componit et diuidit judicia et sensationes in sensu communi, dicitur *imago*, *phantasia*, *virtus formatiua*; est aestimatio, si distinguit nociuum et vtile; duae vires retinent species in absentia, imaginatio; retinens objecta sensus communis, memoria; virtutis formatiuae et aestimationis.

Correspondet cuiuis potentiae cognoscitiuae potentia affectiua proportionalis. — *Synderesis*, quae correspondet intelligentiae simplici, est vis animae appetitiua suscipiens immediate a Deo naturalem quandam inclinationem ad bonum, per quam trahitur insequi monitionem boni ex apprehensione simplicis intelligentiae praesentati. Habet se ad bonum finale vt intelligentia simplex ad primum verum et certum. Est in illa inclinatio, actus, habitus.

Appetitus animae rationalis est vis animae affectiua, apta moueri immediate ab apprehensione cognoscitiua rationis. Si consideratur respectu possibilium et impossibilium est *voluntas*; si respectu actus ab illa eliciti, est *libertas*; si respectu objectorum finalium, est *electio*; actuum imperatorum, est *appetitus dominatiuus aut executiuus*; si exequitur electum, est

propositum; ejus inclinatio ad faciendum, quod elegit, est *conscientia;* est *appetitus rationalis* affectiuus, si respiciuntur ejus passiones motiuae; est *appetitus concupiscibilis*, si cupit bonum aut malum; est *irascibilis*, si considerat bonum aut malum vt arduum.

Appetitus animalis mouetur ab apprehensione sensitiua; hic quoque est irascibilis et concupiscibilis.

§. 10.

De luminositate dictarum potentiarum.

Explicatur vocabulum *luminositas* eo, quod Gersenius secundum Dionysium de coelesti hierarchia sex potentias, quas modo descripserat, sub imagine sex luminum repraesentat; illustrant tres priores, calore implent affectiuae.

Lumen sine calore, calor sine lumine esse nequit.

Differt efficientia solis secundum objecta, quae illi occurrunt, sic diuinum quoque lumen clarius se ostendit intelligentiae, quam rationi, rationi quam sensui.

At sex illae potentiae non lumina tantum sunt,

sed specula quoque; capaces sunt luminis, recipiunt illud. — Sunt qui dicant, illustrare Deum animam nostram se ipso; non actiue solum et efficienter, sed etiam formaliter, aut quasi formaliter; falso, quod auctoritas ecclesiae in synodo parisiensi obstat.

Dicunt alii, esse lumina creata, innata animae, a substantia animae diuersa, habitus innati, qui adhaereant animae, effluant ab illa, pullulent, germinent; falso quoque, quod e falsa opinione deriuetur, quae est, potentiam intellectiuam et volitiuam accidentia esse animae.

Dissentiunt Platonici et Peripatetici ob aliam opinionem, num angeli in se habeant species concreatas omnium.

Gersonii sententia haec est: sunt cognitiones et affectiones acquisitae, actuales et habituales, quae diuersimode illustrant dictas sex potentias. Hae ita recipiunt lumen diuinum, vt specula, quorum vnum remotius semper est altero a lumine, lumen ipsum recipiunt.

Quanto purior et luminosior est potentia, eo magis est idonea ad recipiendam illuminationem theologiae mysticae.

Recipit hanc illuminationem formaliter intelligentia; praedisponit sensus ministerialiter et dispositiue.

Summus theologiae mysticae finis est, eniti, emergere e phantasmatis, erroribus, foedis repraesentationibus, passionibus, quae, et inter illas praecipue peccatum originale, obnubilant, foedant, commaculant sex potentias.

Adipiscimur autem eam per poenitentiam et credulitatem euangelii et non aliter certum habemus. — Jam autem monent termini hujusmodi opusculi praescripti a scribendo desistere, continuationem obseruationum istarum Gersonianarum opportuno loco reseruantes.

Quem resumere voluit stilum, vt post praefationem a me exhibitam, vos ad pie celebrandum instantes dies festos exhortaretur, eum acerbissima mors praematura eripuit manibus Viri summe venerandi, et post fata pie colendi. Quae ex ipsius ore accepi, illa hic vobiscum communicare liceat. Haec vobis dicta voluit pie defunctus. Instat Comites illustris-

simi et reliqui Academiae nostrae Giues ornatissimi hilarissimum resurrectionis Saluatoris nostri festum. Quod vt pio, quo par est, sensu celebretis, grato erga illum animo, qui pro peccatis nostris acerbissimam subiit mortem, et in sedem patris elatus gloria immortali nunc gaudet, moneo, rogo. Incedatis puri et ἄμεμπτοι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς τοῦ κυρίου, ὃς ἐταπέινωσεν ἑαυτὸν, γενόμενος ὑπήκοος, μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ. Vos, quaeso, sequamini diui σωτῆρος exemplum, complectentes vos mutuo amore, deponentes omnes inimicitias, et viuentes in eo, qui summum amorem in eo ostendit, vt moreretur pro fratribus. Hoc agite, vt digni fiatis, qui recipiamini tempore ab illo stato in imperium ejus aeterna pace refulgens.

P. P. d. VI. April. MDCCCXXII.

(L. S.)